

26. Primò. Alumine Spiritus sancti, qui abdita, & obstrueta revelat, ita D. Cyrill. Hierosol. Catech. 16. Non adfuerat Anania, & Saphira Petrus, cum sua bona vendebant, sed per Spiritum aderat; nullus erat accusator, nullus testis, unde igitur evenit, ut nosset? Qui erat absque literis per gratiam Spiritus illa didicit. Cum Petrus esset repletus Spiritu sancto absque teste, ac accusatore illa agnovit, & penetravit.

27. Cum accusaretur Susanna à falsis testibus, ex nullo humano medio eorum falsitas deprehendi posset, ex quo illi de suo mendacio maxime se securos promittebant; illa ab omnibus destituta clamat ad Dominum: quid tunc; Excitavit Dominus Spiritum S. pueri adolescentis, Daniel, cap. 13. n. 45. qui totas falsitatum machinationes aperuit, ac detexit, D. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto c. 8. sic loquitur: Vbi Dominum invocavit, Spiritum meruit, qui latentem Prebyterorum conscientiam revelavit, Juxta humanam conditionem seniorum falsitas potuit latere, ac ubi divinus Spiritus accessit, nil valuit esse abconditum, sed omnia in lucem claram prodierunt.

28. Secundo D. Petrus agnovit per revelationem Spiritus sancti, & quomodo alii agnoverunt; ad quod responderet D. Athanas. orat. in Pass. Domini, ibi ait: Minister veritatis Petrus eum à se extrudid, dicens: Non es meritum hominibus, sed Deo. Quia in parte ingens miraculum editum est: & quod enim solus nesciat Petrus, id morte Anania omnibus innotuit. Si fraudis mendacium in abdito, & secreto Ananias, & Saphira determinarunt, unde publicum, ac manifestum est. Id morte Anania omnibus innotuit. Mors, & supplicium testatur eos mendaces, eorum crimen, ac culpam restatur, & clamat: Omnibus tacentibus ipsa pœna perenne culpæ memoriale est de eorum falsitate in voto, seu juramento facta.

29. Loquens Zacharias Propheta de supplicio hominis mendacis, ac falso jurantis cap. 5. n. 4. ait: Educam illud, dicit Dominus exercituum & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus. Valde mirum, quod supplicium contra hominem mendacem, non solum fulminatur contra ipsum, sed etiam contra domum ejus lapides, ac ligna, ut omnia dissipentur, ac destruantur; & cur tanta fiet desolatio in domo ejus? Ut ipsa totalis ruina sit perpetuum monumentum pœnæ mendaciter loquentis, ac falso jurantis; hoc enim execrabile crimen est, ut tanta afficiatur pœna, qua puniuntur facinorosi, ac rei humanæ, ac divinæ Majestatis læsores, quorum domus dissipantur, soloque æquantur, eorum crimen semper sit vivum in hominum memoria, & nunquam ab illa excidat. D. Chrysol. homil. 15. ad populum sic ait: Qua vero causa, & ligna jurantis dissolvit? ut ruina alijs correctio fiat: Postquam enim jurantem mortuum terra condidit necessum est domus dissolvi, & ruina facta prætereuntibus, & cernentibus admonitio erit.

30. Pro libertate populi Israëlitis, ac destructione Aegypti, ait Deus, Exod. 6. n. 6. Redimam in brachio excelso, & judicis magnis. At de destruendo Sedecia Rege, ait Dominus per Ezech. 17. n. 9. Non in brachio grandi, nec in populo multo, ut evelleret eum radicibus. Et si desolatio Aegypti facta est in brachio excelso, & judicis magnis, cur non sic in Sedecia destruendo brachium magnum non requiritur? Ille mendax prævaricatus est juramentum Deo præstitum, ut ait idem Ezech. citat. cap. 17. n. 16. & 18. perditus autem falso jurans non indiget brachio excelso, ipsi per se fit imbellis, & levi impulsu per se ruit, & cadit; citatus D. Chrysol. sic inquit: Demonstrare volens quod non humana vi destrueretur, sed quoniam Deum fecit sibi inimicum per illa juramenta subjun-

xit: & non in brachio grandi. Et ad hoc D. Chrysol. citat. multa adducit.

QUÆSTIO V.

Quare Anania mendacium dicitur specialiter commissum contra Spiritum sanctum?

Hoc mendacium Ananiæ poterat dici commissum contra Patrem, & Filium, tamen particulariter dicitur factum contra Spiritum sanctum, & primo: Postquam Christus ascendit in cœlum missus est nobis in die Pentecostes Spiritus sanctus, tanquam Pater, Sponsus, Dominus, ac Rector totius Ecclesiæ, sic dicitur, Acto. 20. n. 28. In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Sic & in rebus magnæ considerationis, quæ ad bonum Ecclesiæ regimen pertinebant dictum est ab Apostolis, Acto. 15. n. 28. Visum est Spiritui sancti, & nobis &c. Cum ergo fraus, & dolus Ananiæ esse commissus contra Ecclesiam, etiam specialiter est perpetratum contra Spiritum sanctum, qui est illius Dominus, Pater, Gubernator, ac Rector.

Secundo Spiritus sanctus, cum sit amor infinitus, & increatus ipse nobis infundit omnia dona, gratias, virtutes, ac bona opera, locumque ad veram cognitionem, ac intelligentiam, sic de eo canit Ecclesia Veni dator munerum, accende lumen sensibus. Ipsi divinus Spiritus excitavit, & movit Ananiam ad hanc sublimem cogitationem, ut omnia sua per votum Deo consecraret, in quo mentitus est Spiritui sancto Auctori tam sublimis cogitationis, defraudans partem illius.

Tertio: Spiritus sanctus est Spiritus veritatis, sic appellatur à Christo D. Joan. 16. n. 13. Mitem vobis Spiritum veritatis, dicitur autem Spiritus veritatis; quia ipse, ut explicant nos D. Cyrill. & D. August. est Doctor, inductor, ac illuminator totius veritatis, quam ipse divinus Spiritus infundit, & communicat Ecclesiæ in omni puritate, & simplicitate; mendacium autem, ut erat illud Ananiæ, maxime est contrarium veritati, indeque maxime repugnans Spiritui veritatis, qui omnia illuminat, & illustrat in veritate.

Cum Christus D. transfiguraretur ait D. Petrus: Domine, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria Tabernacula, tibi unum, Moysi unum, Elia unum, Matth. 17. n. 4. Petro meditante tabernacula Nubes lucida obumbravit eos, quæ nubes lucida, ut volunt D. Cyrill. Aug. D. Chrysol. est Spiritus sanctus; quid est quod Petrus intentans fabricare tabernacula divinus spiritus se ostendat in nube lucida? Ut ostendatur, quam diversus sit Spiritus divinus ab humano; humanus intentat tabernacula, quæ obscuritatem inducunt Solem, & lucem excludunt, & arcant, ac divinus Spiritus veritatis totus lucidus, ac nitidus est, omne tenebrosum, ac obscurum excludit, omnia facit apparere in luce, ac splendore; Spiritus humanus umbrosus, ac fictitium quærit, ut faciebat Ananias in presenti; Spiritus divinus, ut Spiritus veritatis, sic movet, ut cuncta in luce innotescant, ut per suam sanctam inspirationem Petrus illuminavit. D. Chrysol. homil. 10. in Marcum inquit: Mihi videtur ista nubes esse gratia Spiritus sancti: O Petre, quia vis tria tabernacula, respice unum tabernaculum Spiritus sancti, qui nos pariter protegit, si fecisses tabernacula, utique fecisses humana, & utique illa fecisses, quæ lucem excluderent, umbram includerent; nubes autem ipsa lucida, & obumbrans, hoc est unum tabernaculum, non excludit Solem justitiam, sed includit. Vide de hac re superiorem quæstionem n. 2. 6. 27.

Act. 5. n. 5. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit,

cecidit, & expiravit & factus est timor magnus, super omnes, qui audierunt. Nam. 6. Surgentes autem juvenes amoverant eum, & efferentes sepelierunt.

Versiones CUM EXPOSITIONE III.

35. Vers. 5. **A**udiens autem Ananias hæc verba, Syriacus hos sermones suum crimen notum; & manifestum cecidit, & expiravit; Græcus collapsus expiravit. Ethiopic. Convulsus fuit Ananias, & prostratus fuit, & obiit. Ad vocem Petri, ac ad ejus verba lethali plaga divinitus Ananias percussus, quam D. Petrus divino Spiritu repletus agnovit; & annuntiat, ut pœna duorum fiat correctio multorum: Factus est timor magnus, Syrus: Pavor ingens invasit omnes, agnoscetes quantum crimen sit Dei legem violare, & votum Deo factum non adimplere.

36. Vers. 6. Surrexerunt autem juvenes. Ethiopic. Juvenes honoris fortè aliqui adolescentes pij, ac devoti, qui in multis intervebant Apostolis. Amoverunt eum, & efferentes sepelierunt. Arabicus; operuerunt eum, & sepelierunt, Extra Civitatem, nempe ut erat consuetudo apud Iudæos, ut constat ex Genesi de sepultura Patriarcharum, & ex libro Regum de eorum sepultura, & etiam ex sepulchro Christi Domini.

QUÆSTIO VI.

A quo tam rigida mortis pœna Anania inflata est?

Audiens Ananias verba Petri increpantis cecidit, & expiravit: Ad quod Origenes homil. 8. in Math. tanquam quid naturaliter factum videtur innuere; quod Ananias increpatione Petri percussus ex magno pudore, ac mœnore confectus cecidit, ac expiravit, sicut refert Plinius lib. 7. cap. 5. Didorum Dialecticæ professorem subito ex pudore obiisse, eo quod quæstionem quandam lusoriam non solvisset. Communis, & vera sententia est, quod Ananias ad vocem Petri lethali plaga à Deo inflata cecidit, & mortuus est, sic D. Hieron. epistol. ad Demetriadem c. 7. ait: Petrus Apostolus, nequam increpatur eis mortem, ut stultus Porphyrius calumniatur; sed Dei judicium propheticum spiritus annuntiat. Unde merito ait D. Th. 2. 2. q. 64. art. 4. Petrus non sua auctoritate, vel manu eos occidisse, sed magis divinam sententiam de eorum morte promulgasse, quod maxime apparet in Saphira, sicut Parens Elias mortem Regis Ochoziæ ex Dei mandato declaravit, 4. Reg. 1. n. 4. & passim faciebant Prophetæ. Carthusian. existimat eos fuisse occisos ab Angelo. Tertull. lib. de pudicitia cap. 2. tenet hic indicari typum excommunicationis, quæ est mors animæ.

Sciunt potentes sæculi Deum scelerum esse ultorem. Postquam fornicatus est Israel cum filiabus Moab, mandat Deus Moyli: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis; Numer. 25. n. 4. sed cur contra Solem, ut Solem intuentes moriantur, Apollinaris in Catena Græca sic ait: Suspende contra: Id vero non tantum, ut oculis eorum facinora proderentur, quam ut per Solem, qui symbolum gerit ipsius Patris totius nature Deum agnoscerent omnia intuentem, quem nec cogitationes quidem nostra mentis fallere possunt, quem quidem non pigeat occultum esse resem nostrorum operum. Ad intuitum Solis mandantur Principes suspendi, Sol iste noster visibilis symbolum est Dei omnipotentis, qui est

verus Sol justitiæ; sciant Principes, & potentes, quod Deus omnia eorum opera intuetur, illorumque vindex est, morte, & tormentis, ut alii tali exemplo melius dispositi de vivis abeant, ut pœna eorum fiat aliorum correctio.

QUÆSTIO VII.

Quare tam rigida mortis pœna Ananias pœnitur?

Ratio literalis est ob fraudatum pretium agrî, in quo furtum, & magnam injuriam contra Ecclesiam commisit; quia ob votum paupertatis, jam illa pecunia pretii non erat sua, sed Ecclesiæ; injuriam etiam intulit Apostolis, quia eos intendit decipere, injuriam etiam fecit omni fidelium Congregationi, quia illud pretium dividebatur per singulos, ut unicuique opus erat, Acto. 4. n. 34. & 35. & ideo suæ fallaciæ merito pœnas luit. D. Ambros. lib. 3. Offic. cap. 1. sic ait: Licuit utique illi nihil offerre, & hoc sine fraude fecisset, sed quia fraudem, immiscuit non libertatis gratiam reportavit; sed fallacia pœnat exolvit.

Secundo Cæsarius Nazianzi frater Dialogo 5. sic ait: Quamobrem tam enormiter lapsus, Sanctus ille vir Petrus veniam consecutus, ipse quoque veniam non dedit Anania, & Saphira, sed in una hora utroque occidit verbis, & post pauca sic respondit: Quamdoquidem semel Deo dicatum aurum sacrilegio vulneratus alienaverat, interrogatusque negaverat, nec enim facultas concedendi scelus erat; non consentiente cum labiis corde Petrus peccavit, tamen oculorum Christi intuitu doluit, ac flevit amare; ac Ananias ter interrogatus, cur Satanus, nomine manens, & venundatus in sua, & obduratus persistit, nec signum doloris, aut confessionis ostendit; & si Petrus magnam habebat potestatem, & charitatem ad condonanda peccata, quæ per confessionem prodeunt in ore, non verò quæ obdurato corde abscondita in eo retinentur, ut Ananias aliud habens in corde, aliud in ore, unde ipse damnatus perditus est. Illi, qui ad nuptias veste non competere intravit, ait ille Matth. 22. n. 12. Amice, & quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obtinuit. In quo extitit tota suæ perditionis ruina, ut ibi ex multis Patribus dixi.

Tertio, Petrus, & cæteri Apostoli multas injurias pertulerunt; ut diceretur ebrii, Acto. 2. ut vinci ponerentur in carcere, Acto. 4. n. 2. & infra in hoc cap. n. 18. cæsi que sunt flagellis infra in hoc cap. n. 40. At vero modo tam rigorose se habet Petrus cum Anania, & Saphira. D. Petrus Prælatorum exemplar inturias illatas in propriam personam patienter sustinet; at vero, ea, quæ machinabantur contra auctoritatem sui muneris, ut dolis, ac fallaciis deciperetur non dissimulat; sed rigide invehitur, ac increpans punit. Judæi Christum D. voluerunt de monte præcipitare, Luc. 4. n. 29. volueruntque etiam lapidare; in quibus placido vultu se habuit; ut eum diceretur eum Dæmonium habere, atque Dæmonis ope operari, Joan. 8. n. 49. Luc. 11. n. 19. Quod valde alienum erat a Salvatore, ut ait Haymo, multis occurrit, calumniarum refutat, ut Salvatoris dignitas in nullo offendantur.

Quarto, inquit D. Hieronymus citatus superiori q. epistol. ad Demetriadem: Vt pœna duorum esset correctio multorum. Lyranus, Ananias subito à Deo percussus: transgressores enim alicujus legis, seu ordinationis graviter in principio sunt puniendi, ut lex firmetur, & alii terreantur, & hoc modo Nadab, & Abiud filii Aaron offerentes ignem alienum percussit.

D. Cyrill. Spiritus sanctus omnia penetrat.

Dan. 13. D. Ambros. A divino Spiritu omnia in lucem.

D. Athanas. Pœna testificat crimen mentientis, ac perjurantis.

Zach. 5. Pœna delinquentis avertit a visum.

D. Chrysol.

Exod. 6. Ezech. 16. Mendaciter jurans per se ipsum ruit.

D. Chrysol.

37. Origen. Mori ex recundia.

38. Mori animæ à Deo. D. Hieron.

D. Thom. 4. Reg. 1. Carthuf. Tertull.

39. Num. 25. Apollin.

Dei agnoscent scelera vendicantur.

40. Fallaciæ pœnitur.

D. Ambros.

41. Cæsi.

si deest confessio adeb. anmuntur.

Matth. 22.

42. Acto. 2. Act. 4.

Prælati sub injuriis suffere, non vero muneris.

Luc. 4.

Joan. 8. Luc. 11. Haymo.

43. D. Hieron. Lyran. Pœna unius correctio multorum.

2 percussit

Levit. 10. Num. 15. 44. Oecum. Superflua in Dei sollicitant.

perculsi sunt à Deo in die suarum consecrationum, Levit. 10. n. 1. & colligens ligna in Sabbatho lapidatus est, Num. 15. n. 32. Quinto Oecumenius in praesenti sic ait: Hic autem sacrilegium apparuit; siquidem quae Deo ad egentium alimentum reposita erant, ipsi ad superfluos usus insumebant. Illa, quae Deo ad pedes Apostolorum offerebantur, erant ad egentium, ac pauperum alimentum, ut patet ex loco proxime citato, Act. 4. Ananias autem pecuniam quae ad pauperes pertinebat ad superfluos usus reservabat, & inde, in laqueum mortis incidit.

45. Per quadraginta annos populus alimentatus est caelesti cibo manna absque ulla offensione, perierunt carnes, venerunt Coturnices, adhuc erant in faucibus eorum, & furor descendit super eos, Num. 11. n. 33. de quo Psalmographus, Psal. 77. n. 31. Et pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenas maris volatilia pennata, & adhuc esca erant in ore eorum, & ira Dei descendit super eos. Per tot annos nunquam cum manna in iram Dei inciderunt, ut modo cum coturnicibus statim ipsa prima manducatione. Unde tanta rei differentia? Manna dabatur cum mensura accommodata unicuiqueque necessitati: Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum, Exod. 16. n. 16. At in carnibus non erat mensura, sed multa superflua, & abundans supra necessitatem, & talia dum eduntur sine mensura ruunt, & in interitum praecipitantur. D. Nazianz. orat. 3. & ait: Panis in deserto pluvia instar fusus, obsonium à Caelo missum, ille necessitati correspondens, hoc etiam supra necessitatem imperitum.

46. Quinto Theodorus apud Cassianum collat. 6. c. 11. ait: Ananias, & Saphira tam grandi poena plectuntur, quia nova pravariationis praesumptores reperti. Hi duo maritus, & uxor fuerunt inventores, aut Authores fallaciae, ac deceptionis in Ecclesia fraudantes de bonis illius, & inde illis tanta poena. Satis agitata quaestio est, cur Angelo peccanti venia denegatur, quae homini delinquenti conceditur. Peccat Angelus, utque reus punitur nulla spe veniae data, peccat homo, & ut reus punitur, tamen condonatur peccatum, cujus rei optimam dat Albinus rationem ad cap. 4. Genes. & ait: Angelus sui sceleris inventor fuit, homo alterius fraude seductus: Angelus fuit primus, qui contra Deum se erexit, & ipsum graviter se offendit, sed Adā prius seductus est ab Eva, quae prius peccaverat: At Angelus extitit primus inventor peccati, indeque tam miserrime in peccato sepultus est, omni refurgendi spe denegata, utpote, qui primus in caelo peccaverat, & primus in terra Evam seduxit.

47. Mandat Deus Moyli facere serpentem aeneum: Fecit Moyses serpentem aeneum, & posuit eum pro signo, Num. 21. n. 9. Cur non potius fecit Leonem, Lupum, vel Ursum qui aequè ac Serpens solent ferire in homines? D. Maximus homil. de Passione. Uique primus apud Deum peccaverat, primus Crucis sententiā feriretur. Serpens fuit primus, qui peccavit in caelo, primus qui induxit ad peccandum homines in terra: inde jure optimo suspenditur in ligno, ut primus omnium sui sceleris poenam, ac castigationem sentiat, atque importet.

48. Inventus fuit Acham furti reus, cumque ad se advocat, Josue 7. n. 19. & ait illi: Etsi mihi da glo-

QUAESTIO VIII.

Quare non lente, ac oblativè admonet D. Petrus Ananiam, ut Isaac se habuit erga furti reum?

48. Inventus fuit Acham furti reus, cumque ad se advocat, Josue 7. n. 19. & ait illi: Etsi mihi da glo-

riam Deo Domino Israel, & confitere, atque indica mihi, quid feceris ne abscondas: Responditque Acham Josue, & dixit ei: Verè ego peccavi Domino, & post haec fuit interfectus. Si ergo tam benigne se habet Josue, cum delinquente, cumque filium appellat, ut inducat ad poenitentiam, ac confessionem: Cur ergo similiter D. Petrus non benevole, ac paternali- ter se habet cum Anania, sed statim tam severe, ac durè increpat.

Responderetur primò cum D. Thom. 2. 2. quaest. 33. art. 7. ad secundum, quod admonitio, ac correctio fraterna est adhibenda, quando datur spes emendationis, quae nulla erat, nec in Juda, nec in Anania, & ideo ait sanctus Doctor uterque non fuit corripiendus, nec admonendus; quia talis actus est otiosus non solum negativè, sed etiam positivè, & Sanctum non est dandum canibus, Proverb. 9.

Secundo D. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 181. ait: Cum tunc Evangelij sementem Apostoli facere coepissent, ac statim zizania enata conspexissent, sapienter consilio ea confestim evulserunt, ne una cum tritico quæta futuro igni ad excussorem servarentur. Inter incunabula ipsius Ecclesiae, ac illius exordia, nata zizania fraudis, ac fallaciae, rigidè, ac severe in aliorum documentum fuit amputanda, ac eradicanda, ne purum fidelium triticum inficiaretur, ac venenum exhaereret, ut in ignem, ac perditionem tueret: Sic Magnus Elias occidit Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis, 3. Reg. 18. num. 40. ne parva scintilla magnum excitaret incendium.

Tertio D. Chrysostom. homil. 12. ait: Oportebat, inquit, istum corrigi sed non correctus esset: Nam qui talia viderat, nullumque lucrum inde fecerat, multo magis nec alia ratione lucrari fieri poterat. Cur magnus Petrus sua Apostolica charitate Ananiam placidè, ac dulciter non commonefacit, ut poenitentiam suam fraudem detegat, peccatum confiteatur, & misericordiam, ac veniam impetret. Prudentissime Petrus tales admonitiones praetermisit; nam qui talia viderat, nullumque lucrum inde fecerat; Nam pro tunc Apostoli magnis signis, ac praclarissimis virtutibus fulgebant, & sine ulla intermissione in conversione fidelium, ac ut eos ad poenitentiam adducerent, incumbabant, qui omnes fideles ardentissima charitate, oratione, Sacramentis, elemosynis erant dediti, & qui inter tot, tantasque virtutes degens avaritiam suae fraudis non cohibuit, inutilis illi erat quaecumque alia admonitio; nulla enim major, & efficacior, quam tot, & tantorum virorum vivam exemplum.

Videns Dominus ficulneam infructiferam ait ad cultorem vineæ: Succide illam: Ut quid etiam terram occupat, Luc. 13. num. 7. ex quo motivo benignissimus Dominus tam severe se habet erga illam ficulneam Gillibert. ferm. 23. in Cantic. sic inquit: Forstian, & ficulneam illam sterilem, ficulneam quam Dominus iussit succidi, fertiles de vicino vineae condemnabant. Undique vineae florentes parturientes suavissimos fructus, circumdabant ficulneam, omnes fructibus plena, & ipsa sola infructifera merito damnatur, ut igni comburatur.

Cum populus detineretur in Sertim unus ex filiis Israël introivit ad scortum Madianitidem quod cum vidisset Phinees accensus zelo Dei arrepto pugio ingressus post virum Israhelitam in luperanar, & perfudit ambos simul, virum scilicet, & mulierem, Num. 25. n. 7. Cur Phinees, qui destinabatur in summum Sacerdotem, non prius ad eos clamat, ut eum timeant, & à tam nefario crimine se abstineant. Isti suam turpitudinem

Inter aliorum lachrymas peccans deplorantem turpitudinem perpetratur, ut ait Text. ibi n. 6. quando Moyses, & omnis turba filiorum Israel stabant ad ostium Tabernaculi, & orantes, & qui inter aliorum lachrymas, gemitus, ac orationes à sua turpi libidine crenabantur, sed tanquam equus indomitus praeritabatur, nulla admonitione erat trahendus, omnique illi inutilis & improficua. Procopius apud Glosam sic ponderat: Hic scortator impudicitia sua avaritate ad justam iram provocavit Phinees, quod videlicet in conspectu Moysis, & principum libidinem exercuit nihil, etiam reveritus ipsorum lachrymas quas ante tentorium effuderunt.

QUAESTIO IX.

An Ananias, & Saphira sint in aeternum damnati? Quaestio praesens est, An Ananias, & Saphira sint in aeternum damnati? Afferunt aliqui, ut Cassianus collat. 18. cap. 7. Pro ea citatur D. August. ferm. 27. de verbis Apostoli, dum ait: Anania: pariter & vitam perdidit, & salutem. Et D. Basil. ser. 1. de Inst. Monach. dum ait: poenitentia adiuvi invenire non potuit.

Contraria sententia, ut benignior, & communis magis placet: Origenes tract. 18. in Math. D. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 181 citaturque pro ea D. August. lib. 3. contra Parmen. cap. 1. ad illud 1. Cor. 5. num. 5. Tradidit satana in interitum carnis: sic ait: Quid ergo agebat Apostolus, nisi ut interitum carnis, salvis spirituali consuleret, ut sive aliqua poena, vel morte corporali, sicut Ananias, & uxor ejus ante pedes Apostoli Petri ceciderunt, sive per poenitentiam, quoniam Satana traditus erat, interimeret in seculum mortem carnis concupiscentiam.

In eadem sententia est Petrus Damianus epist. 15. de contemptu saeculi cap. 3. & ait: Et quidem illi, impote rudes, & ad fidem denno venientes, nec dum forsate ad plenum Evangelicae praecipia didicerant; necdum enim sacri doctrinae Codices ad publicum commune processerant: autamen qui in ipso fidei irocinio quodammodo simpliciter peccaverunt, districto quidem, pro iudicio, sola, ut credimus, sunt corporis morte mulctati. Erant isti in principio Ecclesiae & adhuc rudes in doctrina Apostolica, & possunt excusari sine gravi peccato aliquid sibi esse licitum ad proprios usus servare: Unde Carthusian. existimat, quod Petrus sua prece Ananiae gratiam poenitentis impetravit, quem externis tam rigidè correxit. Hanc sententiam communiter sequuntur recentiores Lorinus, Cornel. à Lapide, Tirinus, Menoch, & liti.

Nec ex tam grandi mortis poena colligitur eos mortaliter peccasse, quia hoc saepe fieri, & maxime in principio legis, ut lex magis firmetur, & alii ad ejus observantiam exhortentur, ut Deus morte punivit Ozam ob arca contractum, ex eo quod eam labentem sustentasset, ne caderet 2. Reg. 6. n. 7. & ille alius Propheta per Prophetam occisus est, eo quod contra Dei mandatū in Bethel comedisset, seductus, ac deceptus ab alio Propheta, affirmans sibi revlatum esse posse comedere, 3. Reg. 13. n. 24. Similiter colligens ligna in Sabbatho ex Dei mandato lapidatus est. Numero. 15. n. 32. In quibus tantum videtur peccatum veniale fuisse.

Et esto quod concedatur Ananiam, & Saphiram mortaliter peccasse, audita tamen Petri increpatione, poterant in ipso mortis tempore dolere ad salutem, sic ait D. Hieron. in cap. 1. Nahum: non paucos de submersis in diluvio, vel mari rubro, & de crematis in Pentapoli, dolore interno evasisse aeternam mortem; qua etiam de causa dicitur, quod ille, qui mo-

ritur in duello, vel clauso ostio à parte interiori, & invenitur laqueo suspensus, vel in puteo demersus, ac suffocatus, vel interfectus cum amasia in lectulo sepeliendus est in loco sacro, arque pro eo sunt offerenda sacrificia, quia semper praesumitur quod in extremis homo totis viribus agit de sua salute aeterna, Ita Navar. lib. 3. consil. 7. de sepul. Villalob. tom. 2. tract. 3. diff. 3. n. 4. Barbof. de offic. Paroch. c. 26. n. 49. Rodrig. Dian. p. 5. tract. 3. resol. 10. Rodrig. Menoch. Graffis, Hur. de Mendoza, multique alii, quos citavi, & sequutus sum in Opusculis opus. 2. reso. 48. quaest. 2. num. 11. 12 & 13.

Act. 5. n. 7. Factum est autem quasi horarum trium spatium, & uxor ipsius neficiens, quod factum fuerat, introivit; At illa dixit, etiam tanti.

Num. 8. Respondit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidisti? At illa dixit, etiam tanti.

Num. 9. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & effrent te.

Num. 10. Et conf. stum cecidit ad pedes ejus, & expiravit. Intraentes autem juvenes invenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum.

Num. 11. Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.

EXPOSITIO IV.

Verf. 7. Factum est autem quasi horarum trium spatium. Syrus, Tribus vero post horis. Pagninus, Intercessit intervallum trium horarum. De quo quaest. sequenti; Nesciens quod factum fuerat, nullus fuit ausus tam infelix nuntium ei aperire. Introivit. Oecumenius: Non vocabat eam Petrus, sed expectabat, ut ipsa, dum vellet, ingrederetur, data illi potestate respiciendi, & non impudenter ingrediendi. Vocabat eam culpa sua, ut debaris luere poenas.

Verf. 8. Respondit ei Petrus. Caietan. Mulieri nomen eum salvanti, Syrus, & alii respondit, legunt: dixit, Hebraei frequenter sumunt respondere pro dicere: Dic mihi mulier, nomen ejus tacuit, ut notat Lorinus, virum tamen expresserat Ananiam, cavenda est cum muliere familiaritas, cujus nota est, ac signi agnitio nominis: sic ait Deus Moysi: Novi te ex nomine, invenisti gratiam coram me, Exod. 33. n. 12. & ad Isaiam: Dominus ab utero vocavit me, & recordatus est nominis mei, cap. 49. n. 1.

Si tanti agrum vendidisti. Syriacus fundum. Aethiopic. Vineam vestram. Lucifer. Pradium, & cum Apollolus ait: Si tanti vendidisti, notat Lyranus, expressit pretium oblatum ab Anania, cujus tamen quantitatem Lucas tacet, ut denotaret breve cum muliere colloquium.

At illa dixit: Etiam tanti. In quo mentita est; nam magnam partem pretii cum suo marito abscondit, mulierum ingenium valde proclive ad mendacium: sic Eva ait Serpenti: Praecit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus, Genes. 3. n. 2. & Deus solum inter dixit esum, non vero tactum: Satanas audiens se paritaram risit, & postea asseruit, se non risisse, Genes. 3. n. 15. Sic mentita est Saphira. D. Chrysostom. Magna caecitas cum pertinacia multa respondit, putabat enim quod cum homine loqueretur.